

cialiter sibi concessam ordinarie habent episcopi Germaniæ, vi cuius non tantum ipsimet legere, sed etiam aliis concedere possunt licentiam legendi libros hæreticos, et alios quomodolibet prohibitos, paucis exceptis, uti patet ex copia huiusmodi facultatum a Sede apostolica concessarum moderno nostro Reverendissimo ac Celsissimo S. R. I. principi, et episcopo Frisingensi, quam per extensum adduximus in tom. IV, in Appendice, num. 22.

57. *Facultatem legendi libros prohibitos ex speciali indulto pontificio habent Germaniæ episcopi eamque communicare possunt aliis, sed non nisi sacerdotibus.* — Circa quæ tamen privilegia, seu potius facultates (privilegia enim ex natura sua perpetuo durant, hæc vero facultates ordinarie ad quinquennium duntaxat per dicenda num. seq.) aspiciendus, et exacte observandus est tenor ipsarum, ne excedatur. Et hinc licet Pontifices concedendo ordinariis præsertim Germaniæ huiusmodi facultates, etiam addere soleant potestatem communicandi etiam aliis has facultates, tamen quia hæc potestas communicandi plerumque non universaliter, sed quoad sacerdotes duntaxat datur, uti passim videre est ex copiis facultatum, et in specie ex copia illarum, quæ nostro Reverendissimo et celsissimo ordinario Frisingensi sunt concessæ, et tom. IV, in Appendice, num. 22, allegatæ, ibi, num. 20. Communicandi has facultates in totum, vel in partem, prout opus esse secundum conscientiam iudicaverit, NB. Sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus, non potest noster Reverendissimus et celsissimus ordinarius facultatem tenendi et legendi libros hæreticos, et alios prohibitos communicare alicui quantumvis docto laico, nec cuivis simplici sacerdoti, sed solis sacerdotibus idoneis in cura animarum laborantibus, et quidem his non aliter, quam ad finem et effectum eos impugnandi, præter opera Caroli Molinei, Nicolai Machiavelli, et libros de Astrologia iudiciaria principaliter aut incidenter de ea tractantes, quia ita et non aliter sonat tenor facultatis Apostolicæ, n. 2 et 20. Quod idem observare habent alii Reverendissimi ordinarii, non nisi similis tenoris facultatem habentes; qui tenor proin bene inspiciendus, considerandus et observandus est.

58. *Idque ordinarie ad solum quinquennium.* — Porro memoratæ a Sede apostolica

reverendissimis ordinariis concedi solitæ facultates, ordinarie ad solum quinquennium, vel quadriennium dantur, quo elapso iterum necessario de novo peti, et renovari debent; adeo, ut, si ordinarius post elapsum huiusmodi tempus tali facultate alias de jure sibi non competente uteretur, v. g. dispensaret super dirimente impedimento criminis, non tantum graviter peccaret, sed nulliter etiam ageret, per ea, quæ de dispensatione legum diximus, lib. I, tit. II, § 18. Quapropter illi, quibus ex officio incumbit, bene attendere debent, quandonam tempus præfixum elabatur; quatenus renovatio facultatum in tempore fieri, et nullitates evitari valeant.

59. *Minime vero in perpetuum.* — Dubium hic moveri potest, an Reverendissimus episcopus, qui vigore huiusmodi facultatum apostolicarum ad quinquennium libros hæreticos, aliosque prohibitos, tenere et legere, atque hanc legendi facultatem etiam aliis idoneis sacerdotibus communicare potest, possit eam communicare in perpetuum, vel saltem ad quinquennium, etiam tunc, quando eam communicat tempore, quo ob lapsum illius, per unum, vel alterum duntaxat annum amplius durant facultates eidem concessæ, postea de novo renovandæ? Et quidem circa primam partem dubii videtur certum, quod cum ipse ordinarius non in perpetuum, sed ad quinquennium duntaxat concessam habeat facultatem tenendi ac legendi libros hæreticos, etc. Eam in perpetuum, vel ultra quinquennium aliis concedere minime valeat. Quia nemo potest dare, quod non habet: per vulgaria.

60. *Imo nec ad quinquennium licentiam legendi libros prohibitos aliis concedere possunt ordinarii illo tempore, quo facultas ipsis concessa per quinquennium non amplius durat.* — Circa alteram vero dubii partem non modica videtur difficultas: pro negativa enim militare videtur sequens argumentum: tempore et casu, quo facultas legendi libros hæreticos ordinario specialiter concessa, de facto non amplius, quam per unum duntaxat, vel alterum annum durat, ipsemet non amplius habet potestatem per quinquennium legendi et tenendi libros hæreticos; ergo eam nec aliis ulterius concedere potest; juxta illud vulgatum: « Nemo potest dare, quod non habet. »

61. *Confirmatur: Reverendissimus ordinarius aliquis vigore præfatarum facultatum*

non habet majorem potestatem communicandi aliis v. g. suo vicario generali, aut aliis idoneis sacerdotibus facultatem legendi libros prohibitos, quam facultatem dispensandi super certis impedimentis matrimonii; atqui hanc non potest ultra tempus sibi concessum communicare, seu non potest ultimo v. g. vel penultimo quinquennii sibi concessi anno dicto facultatem dispensandi super impedimentis matrimonii, ad novum integrum quinquennium communicare suo vicario generali, ita ut hic etiam elapso in facultatibus præfixo quinquennio, per tres adhuc, vel quatuor annos sine renovatione facultatum expiratarum valide et licite dispensare valeat; tum quia contrarium habet consuetudo (quæ est optima legum interpret. l. 37, ff. de Legib.) vi cuius constat, quod elapso præfato quinquennio nullus ab episcopo communicatam facultatem dispensandi habens v. g. vicarius generalis ea uti audeat; tum quia alias Reverendissimi ordinarii intentionem summi Pontificis in quinquennio positam, facile eludere, et facere possent, ut facultates ad quinquennium sibi concessæ, ad decennium sine ulla renovatione durarent; dummodo videlicet ultimo quinquennii mense aut die, eas alicui alteri v. g. vicario generali, vel consiliario alicui ecclesiastico communicarent; tali enim in casu a die communicationis adhuc ad integrum quinquennium novum valerent, et sic utique in effectu ad decennium durarent, quod menti Pontificis adversari videtur; ergo.

62. *Dices, Reverendissimus ordinarius pro tanto tempore communicare valet facultates præfatas, quanto eas ipse a Papa concessas habet, uti patet ex tenore concessionis; atqui ille ad quinquennium illas habet; ergo ad idem easdem communicare valet.* Resp. Distinguendo majorem. Si illas statim a die receptionis alteri communicent, concedo majorem; si post tres, vel quatuor annos jam elapsos, primum communicat, nego majorem; quia cum pro tunc ipsemet ad unum duntaxat, vel alterum annum eas habeat, easdem ad tempus ulterius amplius communicare nequit.

63. *Verum circa hanc difficultatem a n. 60, huc usque ventilatam, positive aliquid resolvere non audemus, sed potius oraculum S. Congregationis exoptamus, illud tamen ad vitanda nullitatis pericula humiliter suademus, ut dum Reverendissimi ordinarii fa-*

cultatem legendi libros hæreticos, et alios prohibitos, aut dispensandi v. g. aliis concedunt, nulli ad plures annos, aut longius tempus, quam ipsi eandem tempore communicationis adhuc habent, communicent; consequenter in communicatione scriptotenus, vel oretenus faciendæ, memoratum tempus specificent, ne alias communicarii talem facultatem vel in perpetuum, vel saltem ad quinquennium sibi concessam, bona fide existiment, eaque cum memorato nullitatis periculo utantur, prout a parte rei factum esse, novimus.

64. *Compendiosa relatio et remissio conditionum requisitarum ad hoc ut librum per Bullam Cœnæ prohibitum legens, incurrat excommunicationem.* — Cæterum, ut in compendio habeatur notitia de lectione librorum hæreticorum per Bullam Cœnæ prohibita, breviter capitulando dicimus; ad hoc, ut liber aliquis censeatur per Bullam Cœnæ sub excommunicatione prohibitus, requiruntur sequentes conditiones.

I. Ut ipse auctor libri sit hæreticus, juxta dicta n. 36.

II. Ut de religione tractet, vel hæresin contineat, conformiter dictis, n. 46.

III. Ut quis scienter, id est, sciens librum ab hæretico compositum, de religione tractare, aut hæresin continere illum legat, secundum dicta n. 55.

IV. Ut sine Sedis Apostolicæ facultate directe, vel indirecte sibi concessa eum legat, per dicta n. 65.

65. *Non excusantur ab excommunicatione docti, solo animo errores confutandi, et sine perversionis periculo legentes librum Bullæ Cœnæ prohibitum.* — Resp. III. Ab excommunicatione per Bullam Cœnæ in legentes librum prohibitum lata, non excusantur docti, qui concurrentibus hactenus quatuor conditionibus huiusmodi librum hæreticum legunt, etiam solo animo errores hæreticos impugnandi, et confutandi. Farinacius, de Hæresi, q. 180, n. 39, 42; Suarez, disp. 20, sect. 2, n. 21; Palao, de Infidelitate, tr. IV, de Fide, disp. 2, pun. 10, n. 8; Sanchez, lib. II, Moral. cap. x, n. 53, cum communiorum, contra Felinum, in c. Si quis episcopus, h. t.; Mascard, de Probat. concl. 862, n. 14. Ratio est, quia Bulla generaliter et indistincte loquitur; ergo indistincte erit intelligenda, arg. c. Quia circa, de Privileg. præsertim cum addatur clausula, qua prohibetur librorum præfatorum lectio; ex

quavis causa, quovis ingenio, vel colore.

66. Nec juvat, si dicas : apud hunc, vel illum non adest, sed cessat ratio, seu causa legis prohibentis, videlicet, perversionis periculum. Nam contra est, quod causa, seu ratione legis respectu unius, aut plurium in particulari duntaxat cessante, obligatio legis etiam respectu talium non cesset, si respectu totius communitatis adhuc durat, ut habet communissima et certa tam theologorum, quam canonistarum ad tit. *de Constitut.* cum alias facile eliderentur leges, et magna atque scandalosa confusio foret in populo, quolibet pro libitu dicente : apud me non militat ratio, seu finis legis.

67. Bene tamen ab illa excusat parvitas materiæ, quæ legitur. — Resp. IV. Excusat tamen ab excommunicatione Bullæ Cœnæ parvitas materiæ, quæ in libro hæretico legitur. Sanchez, loc. cit. n. 31; Layman, lib. II, tr. I, cap. xv, n. 5; Palao, loc. cit. n. 6; Bonacina, *de Censur.* q. 5, pun. 4, n. 13, cum communi aliorum, contra Toleum et paucos alios volentes, excommunicationem incurrere illum, qui modicissimam materiam v. g. unam, vel alteram lineam legit; præsertim, si intentionem habuit plura legendi; ratio conclusionis nostræ est; quia cum universaliter loquendo, in aliis legibus ecclesiasticis præsertim gravissimam excommunicationis censuram infligentibus excuset parvitas materiæ, juxta unanimem doctorum non apparet, quare in hac lege non excuset.

68. Quam parvitatem aliqui volunt esse paucas lineolas : alii integram etiam magni libri paginam, sed nimis late. — Parvitatem autem materiæ communiter dicunt, esse paucas v. g. quinque, sex, vel etiam decem lineolas. Sanchez vero loc. cit. post Vivaldum, et Sa extendit illam usque ad unam integram paginam libri etiam in folio impressi; eo quod regulariter loquendo non videatur subesse aliquod perversionis periculum in lectione unius paginæ; verum Layman, loc. cit. n. 5; Suarez, Bonacina, et alii hanc extensionem nimiam esse, merito dicunt eo quod versemur in materia periculosa, in qua non sunt laxandæ habentia; cum in pagina magni libri in folio impressi hæresis inspersa facile ita deduci, ac propugnari possit, ut periculum perversionis subsit, consequenter ratio legis, indeque obligatio adsit, arg. can. *Consuetud.* dist. 1.

69. Accedit, ipsum Sanchezium, et alios fateri, excommunicari legentem, si tantum epistolam dedicatorem, vel præfationem legat; uti videre est apud Sanchez, loc. cit. n. 3. Ergo multo magis, si ipsam libri substantiam in quantitate præfationi æquali legat, arg. a minore ad majus desumpto. Illud communiter concedunt, eum, qui plus, quam hujusmodi paginam legit, excommunicationem certo incurrere.

70. *Excommunicatur, qui legit notabilem partem, etsi in illa hæresis non contineatur : imo qui legit solam epistolam dedicatorem, vel præfationem libri.* — Nec excusatur, si in illis paginis, quas legit, de religione nullatenus tractetur, nec hæresis contineatur, ut cum communi bene advertunt Sanchez, lib. II, *Moral.* cap. x, n. 33; Layman, lib. II, tr. I, cap. xv, n. 5; Suarez, Ugolinus, etc. Ratio est, quia Bulla Cœnæ, quæ omnem aditum legendi libros hæreticos præcludere intendit, ad incurrendam dictam censuram non requirit, ut quis legat ipsam hæresin, vel materiam de religione tractantem, sed tantum ut legat librum, in qua hæresis continetur, vel de religione tractatur. Quapropter citati doctores insuper volunt, excommunicationi subjacere etiam illum, qui præfationem, epistolam dedicatorem ad lectorem, vel indicem talis libri legat, juxta jam dicta.

Jam circa retentionem, impressionem, et defensionem librorum hæreticorum.

71. *Omnium et solorum librorum hæreticorum, quorum lectio est prohibita per Bullam Cœnæ, est etiam prohibita retentio, impressio et defensio.* — Resp. V. Omnes, et soli libri auctoris hæretici, quorum lectio per Bullam Cœnæ est prohibita, prohibentur etiam retineri, imprimi, et defendi, adeo, ut sicut excommunicationem Papæ reservatam ipso facto incurrit, qui talem librum scienter, et absque speciali Sedis Apostolicæ licentia legit, ita etiam eandem incurrat, qui retinet, vel imprimit. Omnes ob claram Bullæ dispositionem § 1, eodem modo tam de retinentibus, et imprimantibus, quam de legentibus loquens illis verbis : « Legentes, et retinentes, aut imprimentes, aut quomodolibet defendentes ex quavis causa. »

72. *Sive dein suo sive alterius nomine, in propria, vel aliena domo quis eos retineat.* — Dicitur autem retinere, sive suo, sive alterius nomine, sive in propria, sive in aliena domo librum retineat, ex quacunque dein

causa aut fine id faciat, curiositatis v. g. aut ad bibliothecæ ornamentum, confundendum hæreticos, distraendum, commutandum illos, etc. Sanchez, lib. II, *Moral.* disp. 10, n. 52 et 53; Castro Palao, tract. IV, *de Fide*, disp. 2, pun. 10, § 2, n. 7, et seq. eoque teste omnes, Layman, lib. II, tr. III, cap. xv, n. 7. Ratio est, quia Pontifex absolute prohibet omnem retentionem hujusmodi librorum, sub quacunque tandem causa fiat; cum velit eos penitus exterminari. Hinc inferunt præfati doctores excommunicatos etiam esse bibliopolas, et bibliopogos, qui hujusmodi librum ad distraendum, vel compingendum retinent.

73. *Etiam partem retinens pro involutione v. g. peccat.* — Sufficit quoque ad incurrendam excommunicationem, si quis partem libri retineat, Sanchez, loc. cit. n. 54, quia vere dicitur retinere librum, sicut dicitur legere librum, qui partem illius legit, juxta dicta. Hinc idem Sanchez, loc. cit. n. 53, excommunicatos censet aromatarios, mercatores, et quosvis alios, qui hujusmodi libros, aut partes eorum retinent ad involvendas merces, aut similia.

74. *Datur tamen etiam in ista retentione parvitas materiæ, et quæ?* — Verum sicut in legendo, ita etiam in retinendo datur parvitas materiæ, ut si quis brevi tempore per unum vel alterum duntaxat diem v. g. librum retinet. Sanchez, loc. cit. n. 55; Palao, loc. cit. n. 8; Layman, loc. cit. n. 7, vel si unum, duo, aut tria folia retineat; quia etsi non respectu lectionis, tamen respectu retentionis hæc videntur esse parvitas materiæ. Sanchez, loc. cit. n. 54.

75. Excusatur etiam a peccato, et censura, qui longiori tempore librum talem retinet ex eo, quia non habet opportunum tempus, et occasionem illum tradendi inquisitoribus, vel habenti licentiam eos legendi et retinendi. Layman, loc. cit. n. 7; Palao, loc. cit. n. 10.

76. *Quid incipiendum cum libris hæreticis.* — Si quæras : Quid ergo incipiendum cum istis libris, si ad manus alicujus deveniant? Resp. Ad id patere infra.

77. *Quænam veniant nomine imprimendum libros per Bullam Cœnæ prohibitis.* — Imprimentes quod attinet, notandum cum Sanchez, lib. II, disp. 10, n. 57; Layman, lib. II, tr. I, cap. xv, n. 7; Palao, *de Fide*, tract. IV, disp. 2, pun. 10, § 2, n. 13; Ugolino, *de Censuris Papæ reservatis*, p. 2, cap. 1, §. Im-

primentes, et aliis, hoc nomine comprehenduntur omnes, qui ad libri impressionem propinque concurrunt, et veræ illius causæ sunt, veluti primo illos, qui librum imprimendum tradunt, seu illos, quorum nomine liber imprimitur. Secundo typographum, aut patronum officinæ, qui suscipit, etsi propriis manibus non labore. Tertio omnes, qui ad typum actualem in opere concurrunt, v. g. qui collocant litteras, qui præparant, aut apponunt papyrum, atramentum, seu colorem, qui premit forcular; quia omnes isti vere sunt causa impressionis. Idem dic de iis, qui librum pro typo corrigunt præsertim, quia etiamsi dato non concessio, nomine imprimendum non venient, tamen nomine legentium venient, et excommunicati essent. Palao, loc. cit. n. 13.

78. *Et quænam nomine defendentium.* — Quantum ad defendentes notandum, horum nomine venire, qui quocunque prætextu vel causa librum hæretici, quatenus talis defendunt, et tuentur verbis, vel facto : abscondendo v. g. illum, aut impediendo, ne inquisitoribus tradatur, aut ne comburatur : aut idem verbis suadendo, sive publice vel occulte id faciant. Layman, loc. cit. n. 7; Sanchez, loc. cit. n. 58; Palao, loc. cit. n. 14, cum communi aliorum, textu claro Bullæ § 1. Merito tamen loc. cit. observat Sanchez, eum, qui librum aliquem defendit, vere demonstrando, illum prohibitum non esse, vel approbando, quod in eodem catholicum est; aut præcisum laudando ingenium auctoris, vel stylum libri, idque non in ordine ad tuendum, non comburatur, aut inquisitoribus tradatur, excommunicationi non subjacere.

79. *Laymani et Becani assertum, Bullam Cœnæ in his partibus, vel omnino non, vel non tanto cum rigore esse receptam.* — Objicies contra hæc dicta, et responsa ad quaestum a n. 35, de librorum hæreticorum lectione, retentione, impressione, defensione per Bullam Cœnæ prohibita, dicendo : Bullam Cœnæ vel omnino non, vel non tanto cum rigore esse receptam in Germania, consequenter ibidem penitus non, vel non tanto cum rigore obligare.

Hanc objectionem aliquoties non absque justa indignatione et audivimus, et legimus, in quibusdam recentioribus scriptis, nullum aliud fundamentum allegant, nisi quod ita dicat Layman, quem non solum allegant : hic enim caeteroquin

sicis clarissimus et doctissimus auctor lib. II, tract. I, cap. xv, n. 4, volens defendere, quod librorum hæreticorum obiter tantum hæresis inspersam habentium lectio in his partibus non sit prohibita, præfato utitur argumento, illis verbis: « Verumtamen in partibus nostris septentrionalibus Bullaris hæc constitutio secundum talem rigorem recepta non est. Multi enim frequenter prodeunt hæreticorum libri, juridici, medici, historici, quibus plerumque reperias unam, vel plures hæreses obiter admixtas: et tamen passim in catholicorum bibliothecis asservantur, leguntur, »

Eodem num. paulo inferius adducit Becanum supponentem, Bullam Cœnæ in aliquibus præsertim Germaniæ locis omnino non esse receptam, ac propterea ibidem non obligare. De reliquis vero præsertim remotioribus diœcesibus (pergit Layman) non satis mihi constat: ait autem Becanus, 2, 2, cap. xv, q. 8, num. 5, ubi Bulla Cœnæ, vel Index librorum prohibitorum receptus non est, Catholicos in Germania non excommunicari, qui legunt libros hæreticos.

80. *Sequuntur et praticare audent plures ingenti cum præjudicio immunitatis ecclesiasticæ.* — Sola itaque hæc Laymani assertione, et allegatione plures moti docent, Bullam Cœnæ quoad lectionem librorum hæreticorum in Germania secundum rigorem non esse receptam: imo in discursibus aliquos et quidem (quod dolendum est) etiam ecclesiasticos sæculares et regulares nonnunquam audire est, qui dicere audent, Bullam Cœnæ absolute non esse receptam; et per consequens non obligare in his partibus. Quæ doctrina cum non tantum sit prorsus insolida, sed etiam statui clericali, atque immunitati et jurisdictioni ecclesiasticæ (eujus potissima, firmissima, ac quasi unica adhuc columna est Bulla Cœnæ) extreme præjudiciosa, eam ex professo refutare, utile et necessarium esse duximus.

81. *Impugnatur ex professo, et demonstratur, quod Bulla Cœnæ in aliqua quacunque tandem provincia vel licite et valde non possit non recipi, consequenter male non recepta nihilominus obliget.* — Quapropter ad objectionem num. 79, positam, et tam ad Laymani, quam ad Becani, eorumque simplex assertum respiciendum, absolute negando totum suppositum, quod Bulla Cœnæ in aliqua quacunque provincia non recipitur, vel loco juste non recipitur; per consequens etiam

negando, quod alicubi ita recepta non sit, quin ibidem plene et secundum omnem suum verum sensum omnes obliget.

82. *Fundamentum præcipuum est, quod juxta communioem, veramque sententiam ad obligationem justæ legis non requiratur acceptatio illius.* — Fundamentum responsionis nostræ desumitur ex titulo de constitutionibus, seu legibus, et natura, ac qualitatibus Bullæ Cœnæ. Ex titulo de constitutionibus habemus, quod juxta communioem et veram sententiam ad obligationem justæ legis non requiratur ejusdem acceptatio ex parte subditorum, prout late probavimus, lib. I, tit. II, de Constitut., § VI, per totum; atqui Bulla Cœnæ est lex justissima, uti omnes concedunt; ergo ad obligationem illius nulla requiritur acceptatio; consequenter ex ratione non acceptatæ hujus Bullæ male arguitur, eam non obligare.

83. Nec dicas, esse saltem aliquos doctores, volentes, ad legis obligationem, requiri acceptationem ejusdem. Nam contra est primo, quod doctorum horum rationes et fundamenta docendi minus subsistant, prout cit. lib. I, tit. II, § 6, satis clare ostendimus, et sententiam contrariam firmavimus.

84. *Et juxta certam doctrinam (nam contraria damnata est) omnes peccent, qui absque justa causa legem non acceptant.* — Contra est secundo, quod etsi dato non concesso, probabile foret ad obligationem justæ legis Pontificiæ quoque requiri acceptationem, tamen hodie certum est, quod populus semper teneatur acceptare justam legem, et propterea continuo peccet, si eam absque justa causa non acceptet; quia sententiam contrariam damnavit Alexander VII in propositione 28, ita sonante: « Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam. »

85. *Ostenditur in nulla provincia dari, aut excogitari posse justam causam vel rationem non acceptandi Bullam Cœnæ.* — Ex quo sic argumentamur: Pro nullo loco, regno, aut provincia datur vel assignari potest justa et rationabilis causa non acceptandi justissimam et sanctissimam legem in Bulla Cœnæ comprehensam; ergo non potest non acceptari; consequenter omnes ubique, semper, et continuo peccant, si etiam non acceptant. Antecedens patet; tam quia nullus doctorum hæc usque, quantum nobis constat, ausus est se illud allegare atque in rationem vel causam in specie, et dicere: hæc

est justa et rationabilis causa in hoc, vel illo loco non acceptandi Bullam Cœnæ; tum quia tota Bulla ex omni parte, ac respectu omnium est justissima, et æquissima, utpote quæ præter excommunicationem omnium hæreticorum (quæ utique justissima est) in hoc principaliter consistit, quod sub gravissima excommunicatione Papæ reservata prohibeat actus, ex quibus hæresis, aut periculum illius sequi, vel introduci, vel jam introducta, foveri, et ulterius dilatari posset, uti sunt fovere, et defendere hæreticos, legere, retinere, imprimere, aut defendere illorum libros; item actus, qui adversantur, et præjudicant sanctissimæ libertati, immunitati, aut jurisdictioni ecclesiasticæ, vel juribus Ecclesiæ Romanæ, vel potestati, auctoritati, et jurisdictioni Christi vicarii, summi Pontificis. Quæ omnes utique ex omni parte evidentissimæ sunt prohibitiones, adeo ut eas non acceptandi justam et rationabilem causam nullus habere posse videatur; præsertim cum imaginare fors rationes ac interesse privatorum, bono communi præcipue vero universali Ecclesiæ Dei (ob quod prohibitiones memoratæ factæ sunt) semper postponi debeant, arg. can. Scias. 39, cau. 7, q. 1.

86. *Præsertim quoad prohibitionem librorum hæreticorum.* — Et profecto ut ad propositum in specie loquamur de prohibitionem periculosæ lectionis, retentionis, impressionis ac defensionis librorum hæreticorum, quænam etiam in Germania, et aliis provinciis, ubi hæretici cum Catholicis permixti vivunt, vel a longe excogitari, aut fingi potest justa ratio, aut rationabilis causa, hanc sanctissimam prohibitionem non acceptandi? si enim esset aliqua, esset, quia in his partibus jugiter conversari, et continuum commercium cum hæreticis habere debemus; at hoc fieri potest absque ulla lectione, vel retentione librorum hæreticorum de religione tractantium, aut hæresin continentium, ut consideranti patet.

87. Vel quia cum hæreticis subinde etiam de religione discurrere et disputare, consequenter ex libris eorum ad confutandos eorumdem errores, non informare oportet: sed nec ista ratio quid valet; quia illi, quibus istud ex officio, aut cura incumbit statim impetrare et habere possunt a Sede Apostolica specialem facultatem legendi ad hunc finem libros hæreticos: reliquis vero præsertim laicis ordinarie loquendo, non

expedit, minus necesse, imo jure communi c. *Quicumque*, 2, § *Inhibemus*, h. t. in, 6, prohibitum est disputare cum hæreticis de religione; qui proin hæreticos prudenter allegant ad pastores animarum, vel tales, quibus id incumbit, ac concessum est. Quod si subinde in aliqua provincia, vel loco ob certas circumstantias id etiam respectu laicorum aut simplicium sacerdotum necesse, vel expediens videatur, potuerunt hi ex libris præsertim controversisticis catholicis pro statu suo sufficienter se informare ad hoc finem, aut, si speciales circumstantiæ etiam lectionem libri hæretici exigerent, facultatem ad hoc impetrare vel immediate a Sede Apostolica, vel ab episcopo loci; cum juxta dicta omnes episcopi Germaniæ, et aliarum provinciarum hæresi infectarum habere soleant specialem facultatem libros hæreticos, et hanc facultatem etiam aliis saltem sacerdotibus communicandi juxta dicta, n. 65.

88. Vel denique quia in his partibus fere omnes hæreticorum libri, etiam medici, historici, philosophici, politici, unam plures hæreses inspersas habent, vel aliquid de religione incidenter tractant; difficile autem, et quasi impossibile foret in his partibus abstinere a lectione, et retentione omnium librorum hæreticorum. Verum nec hoc justam causam non acceptandi Bullam Cœnæ præbet, eo quod hæreticorum libri profani, qui hæresin, unam vel plures obiter tantum, et sine vera periculosa aliqua propugnacione aut defensione, continent, aut similiter, aut non aliter de religione incidenter in eis tractent, per Bullam Cœnæ prohibiti non ceaseantur per dicta supra, a num. 50. Copia vero, aut multitudo eorum hæresin modo, num. 46, 47 et 48, specificato continentium, vel de religione principaliter, aut incidentaliter ex instituto tamen tractantium, justam causam non acceptandi prohibitionem minime tribuat, sed potius eandem faciendi, necessitatem imponat; cum ex copia et multitudine talium librorum crescat, et augeatur periculum perversionis animarum, dilatationis hæresis, veræque religionis et Ecclesiæ grave præjudicium, indeque consurgat necessitas, aut certe justissima prohibendi hos libros causa. Accedit, quod nulla sit necessitas habendi prohibitos hæreticorum libros, cum de quavis materia et objecto libri Catholicorum, aut certe hæreticorum Bulla Cœnæ non prohibiti ad abundantiam habentur. Consequenter a primo ad